

Cum supradictum est quod luna contineat in se sulphur album, sicut aurum rubeum. Tamen ignis species sub albedine in eo est obteeta. Ideo omne argētum possibile est fieri aurum. Vnde Philos. Nō est aurū nisi prius fuit argentū. Sic argentū cōtinet in se aliquas qualitates indigestas, quæ possunt ab eo purgari per artē, ita quod particulariter transit in Mercurium fixū, & in vicinissimam naturam auri, quia omne tunc continet in se, quod & aurum, per appositionem sulphuris philosophorum rubei, quo plus digeritur, & citrinatio in eo causatur in adiūctione corporis perfecti, cum sint simpliciter vnius naturæ. Et hoc fit per solutionem corporis lunaris de sicco in humidum, & tunc eadem natura simplex, est magis obediens digestiue naturæ ad introductionem sulphuris rubei Philosophorum non vrentis. Hoc autē in alijs corporibus fieri est impossibile, cum tantam vicinitatem naturæ perfectæ non habeant sicut ipsum, quod est impeditum in generatione ipsorum per sulphur adustibile & foetidum, nec ipsa sunt Mercurius de quo loquitur Philosophus. Non fit transitus de extremo ad extremum, nisi per medium, id est, ex Mercurio non generatur aurum, nisi prius fuerit argentum, Nec in se habent sulphur ignis simplicis non vrentis, sed sulphur adurens. Et ideo in Mercurium fixum parti

c